



F
So

DN

PL

IO

NO



DISPUTATIO IVRIDICA

DE

IVRIBVS
FILII FAMILIAS

Von den Rechten eines unter Väterlicher
Gewalt stehenden Sohnes

QVAM

IEHOVA ANNVENTE

EX

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

CONSENSV AC PERMISSV

PRAESIDE

DN. AMADEO ECKHOLS

I. V. D. ET FACVLT. IVRID. ASSESS.

PVBLICAE

PLACIDAEQVE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT

IOANNES ERNESTVS NORICVS

NORTHVSANVS, AVTOR ET RESPONDENS

LIPSIAE, AD D. FEBRVAR. ANNO MDC LX.

EDITIO NOVA.

VVITTEBERGAE, RECUSA M DCC XXXIX.

LITERIS IO. GVILIELMI BOSSOEGELII. (4)



05 H 731





I. N. S. S. T.

PRAELOQVIVM.

Civitatem Romanam olim quatuor quasi fulcris nimirum Patribus et Matribus, Filiis et filiabus familias stabilitam fuisse, apparet *ex lege 4. ff. de His, qui sui vel alien. iur.* Quorum unumquodque exquisitius indagare, operae pretium nos facturos esse crederem, nisi extra oleas atque instituti nostri rationem excurreret. Vnum ex iis, nempe **FILIORVM FAMILIAS**, ius atque nomen breuiter et quantum per ingenioli atque aetatis, quae in hoc studio parum exercitata est, vires fieri liceat, propitio **DEO** iam inuestigare atque explicare conabimur, si prius quam ad rem ipsam accedamus, *περὶ τοῦ* loco praetermiserimus Etymologiam Vocab. **FILII FAMILIAS**: eo quod ex illa **ICTI** haut raro, quod res sit, eliciant, *arg. pr. Inst. de Testam. Ord. pr. Inst. de V. O. l. i. ff. de I. et l. l. i. §. i. ff. de Mort. causa Don.* Vocabulum autem **FILII FAMILIAS** esse compositum ex **Filio** et uocula **Familias** Gen. antiquo nemini non patet; **FILIVS** uero sine adiecta uoce **FAMILIAS** est nomen sanguinis et naturale *Decian. Resp. 31. Vol. 5.*

n. 13. et in genere is dicitur, qui ex quocunque coitu uel
 coniunctione maris aut foeminae natus, uel quiuis uulgo
 quasitus, quique nullum Patrem habere praesumitur §. 12.
Inst. de Nupt. quia Iure Ciuili, h. e. Nuptiis Pater demonstra-
 tur & certus esse potest, hisque deficientibus, euenit, ut nec
 dici nec sciri possit, quis sit Pater Filii naturalis aut uulgo quae-
 siti. *Alphons. a Carranz. Tract. de Partu Legitimo et Naturali*
c. 3. §. 3. n. 5. Aliter dicuntur Filii in sensu Theologico, de quo
 hac uice non sumus solliciti. *uid Tholos. Synt. Iur. lib. 10. c. 5. n. 4.*
 Vocabulum Familiae autem uarias admittit significationes
 de quibus uideri potest *l. 195. ff. de V. S. Henning. Rennemann.*
Disp. 5. tb. 1. Compositum autem ipsum nempe **FILIVS-**
FAMILIAS describitur *in de l. 4. ff. de His qui sui uel alien.*
Iur. quod sit is, qui est in aliena potestate, intellige Patriam,
quae in l. 114. §. 8. de Leg. 1. inestimabilis res dicitur, ob id
 porissimum, quod sit in caput Ciuis Romani, quo nihil ma-
 ius atque excellentius in LL. Ciuilibus Romanorum dari
 potest. Hoc ipso autem quod filiusfamilias sit is, qui est in
 potestate paterna, distinguitur 1. ab eo, qui ex quocunque
 etiam illegitimo coitu natus, de quo paulo ante. 2. ab eo qui
 per Emancipationem potestate patria liberatus ac sui Iuris
 factus est, atque sic per hoc nomen et Ius Filiifamilias amisit:
 non tamen desit dici Filius, propter naturalem cognitionem,
 quae iure ciuili non potest tolli *l. 1. §. 4. ff. unde Cognati l. 8. ff.*
de R. I. §. ult. Inst. de Legit. Agnat. Tut. 3. discernitur ab illo,
 qui ex indultu Principis a foemina in solatium liberorum amif-
 sorum adoptatus est, §. 10. *Inst. et l. 5. C. de Adopt.* qui quidem
 Filius, sed non Filiusfamilias, h. e. in potestate existens dici
 potest: Iure enim Ciuili matres ne quidem naturales Libe-
 ros in potestate habere apparet ex §. 3. *Inst. de Hered. qual. et*
differ. l. 4 §. 2. de Bon. possess. contra Tab. l. 5. C. de Adopt. quan-
 quam haut negari possit, Iure naturali l. Generatione utri-
 que

que Parentum et Patri et Matri ius in liberos acquiri *uid. Hug. Grot. lib. 2. de I. B. et P. c. 5.* Multo ergo minus Mater Adoptiua Filium in potestate habere poterit, ne scilicet plus in fictione sit quam in Veritate, et imagine Naturae Veritas adumbretur *l. 23. pr. ff. de Lib. et Posthum. Treutler. Vol. 1. D. 2. th. 8. lit. F.* Hinc Filius nec Matri, nec Filio Mater ut suus succedit: quia non potest habere suum heredem *arg. §. 2. Inst. de Her. qual. ac differ. d. l. 4. §. 2. de Bon. poss. contra Tab. et l. 13. de Suis et Legit.* Licet alias Filius Adoptiuus Patri ab Intestato mortuo succedat ut suus, *l. 10. §. 1. C. de Adopt. eo quod hoc in casu fictio propius ad Naturam accedat quam in superiori casu, ubi foemina adoprauerat filium, nec non singulariter hoc ab Impp. ita constitutum sit. Nanciscitur tamen foemina ius tantummodo succedendi ab intestato, l. 5. C. de Adopt. ad instar Matrum Naturalium, quae ex SCTis et Constit. Principum successionem ab Intestato consequuntur. tot. tit. Inst. de SCTo Orphis. et l. 1. §. sed uulgo. 2. ff. ad Sc. Tertull. l. 2. unde Cognati.* Fit autem Filiusfamilias duobus modis uel per NATVRAM uel PER LEGEM. Per NATVRAM, dura filii Naturales ex iustis Nuptiis progeniti statim Parentum Potestati subiecti sunt *pr. Inst. de Patria Potest. l. 3. et 6. ff. de his qui sui uel alieni iuris.* PER LEGEM idque uel NATVRAM IMITANDO uel ADIUVANDO, Illud fit per ADOPTIONEM *pr. Inst. de Adopt. olim quidem per quamlibet, iure uero nouo per eam solum, quae fit ab Ascendentium aliquo, §. 2. Inst. de Adopt. l. 10. C. Eod. Hoc per LEGITIMATIONEM dum liberi solum Naturales extra Nuptias (sine quibus, ut ante diximus, nec Pater nec per hoc Filius demonstrari potest. l. 5. ff. de in ius uocand. l. 6. ff. de His qui sui uel alien. iur. Diphs. a Carranz. d. l. c. 3. n. 6.) procreati, aut per subsequens Matrimonium §. fin. Inst. de Nupt. aut per Oblationem Curiae d. §. fin. Inst. de Nupt. l. 3. C. de Natur. liberis.*

aut per Rescriptum Principis consentientes efficiuntur legiti-
 timi, atque sic eo ipso nomen et iura Filiifamilias nanciscun-
 tur *d. S. ult. Nouell. 89. c. 9.* De cuius IVRIBVS nonnulla
 in medium proferre, animus nobis est: Missis igitur hisce
 generalioribus ipsi operi iam nos non nostri ingenio aut
 uirium fiducia, sed S. Spiritus dulcibus adflatibus eleuati ac
 freti, accingemus, Deumque Optimum Maximum supplices
 deueneramur, ut manum hanc mentemque nostram dirigat,
 ut salutaria uideamus, diiudicemus, promamus. Eatur pro-
 inde, quo DEI Benignitas et uirium facultas uocat. IACTA
 ALEA EST. ¶

THES. I.

*Ius Filiifamilias est Potestas aliquid agendi uel
 non agendi, competens ei, qui in Patria, Potestate
 constitutus est, LL. SCT is ac Constitutionibus Prin-
 cipum contra tenorem Iuris Communis, Aetatis
 imperitiae, aut iudicii imperfectioni, uel Patris
 ac Familiae utilitati succurrendi gratia singulari
 fauore introductum,*

2.

Constat Haec Definitio **GENERE** et **DIFFERENTIA**.
GENVS est potestas, Cuius uariae in iure nostro reperiun-
 tur significationes, uti uidere est *in l. 215. de V. S.* hoc loco idem
 est ac ius quoddam singulare, quod saepissime idem est ac
 facultas, copia: ubi nulla committitur *ταυτολογία*, quando
 Ius Filiifam. per potestatem, quae nihil aliud est, quam ius,
 describimus. Nam haec duo uocabula, stant pro unico con-
 ceptu atque sic unum, Genus contrahunt. *Stat. Reg. Philosoph.*
Disp.

Disp. 14. p. 2. rb. 12. Quemadmodum in Politicis Societas Nuptialis definitur per coniunctionem, quae nihil aliud est, quam proprie Societas. Ita quoque non tautologice definitur Syllogif. Demonstratiuus, quod sit Syllogismus non, enim est inanis et nugatoriae iusdem uocab. repetitio et a communi consuetudine et usu minime abhorret, eam uocem quae in subiecto continetur, in praedicato repetere *uid. Scalium d. l.*

3.

Differentia porro sumitur a causis et quidem 1. a causa, EFFICIENTE REMOTA et PROPINQUA, REMOTA EST PATRIA POTESTAS, quae unice filium-familias efficit, quemque solum Ius Ciuile agnoscit *l. 4. ff. de his qui sui uel alien. Iur.* id circo etiam ui huius potestatis filiusf. singularia quaedam Iura ac beneficia habet. PROPINQUA sunt LEGES, SCTA, CONSTITVTIONES PRINCIPVM, qui sicut alias inprimis imbecillae aetati aut sexui fauere ac consulere solent *l. 1. ff. de Minor.* ita etiam filiumfam. Imperitiae, et Iudicii Imperfectioni succurrunt, atque prae aliis aliquid faciendi licentiam concedunt, aut ob quandam inhabilitudinem ad negotia expedienda facultatem adimunt.

4.

Obiectum sunt ACTIONES, quibus occupatur Filiusfamilias, quatenus, ut loquitur Grotius *l. 2. c. 5. de I. B. et P.* est uel in primo tempore scilicet τῆ Βυλευτικῆ ἀτελεῆς omnesque subsunt Imperio Patris, uel quatenus est in secundo tempore, ubi Iudicium maturuit, ac complectitur illas Actiones, quae aliquid momenti habent ad familiae statum; uel denique occupatur circa eas actiones, quae singulariter illi a LL. SC. et Constit. Principum aut sunt permissae, aut sunt prohibitae.

5. Sub-

5.
Subiectum est **FILIVSFAMILIAS** in Potestate Patria constitutus, ad quem singularia haec iura solummodo directa sunt, de quo cum in Praefatiuncula nostra plura tradiderimus, nihil amplius subiiciemus, ne, quod vulgo dicitur, Actum agere et crambem bis coctam inculcare uideamur.

6.
Finis respicit uel **FILIVM**, uel **PATREM**, uel **FAMILIAM**. **FILII** gratia ideo talia iura constituta atque introducta sunt, ut et iudicii eius, imperfectioni uel aetatis imperitiae succurreretur, et is prae caeteris habita ratione Patriae Potestatis, quae apud Romanos in magno pretio et talis, qualis apud alias Gentes neuitquam fuit §. 2. *Institut. de Patria potestate*, praerogatiuam aliquam haberet. Ratione **PATRIS** data haec iura sunt, ut dum Filius facere quid uel omittere deber, res Fortunaeque Patris bene se haberent, eiusque Potestas intacta et apud Filium sancta seruaretur. Denique respectu **FAMILIAE**, ut status eius integer consisteret, atque ita et Pater et Filius sibi inuicem cum bono familiae consultum irent.

7.
Iura haec uersantur uel circa **ACTVS VLTIMARVM VOLUNTATVM** uel **CIRCA ACTVS** et **NEGOTIA INTER VIVOS**, Respectu Actuum ultimarum Voluntatum subdividuntur in **PROHIBITIVA** et **PERMISSIVA**.

8.
PROHIBITIVA quod attinet, inter ea primum locum obtinet Testamenti factio, quae alias duplex est: **ACTIVA** et **PASSIVA** §. 4. *Inst. de Hered. qual. et diff.* **ACTIVA** est potestas faciendi Testamentum qua quis libere et sine inhibitione ultima elogia, modo sint Legimus conformia, condere potest. *arg. pr. Inst. Quib. non est permiss. fac. Test.* **PASSIVA** est potestas

ff. accipiendi ex Testamento, ubi quis ex Testamento uel sibi
 uel alii aliquid acquirit *l. 16. ff. Qui Test. fac. possunt. d. §. 4. Inst.*
de Hered. Qual. et differ. u. g. Siquis in Testamento heres in-
 stituitur, aut ei per modum cuiuslibet ultimae uoluntatis ali-
 quid relinquitur. Nec dubium est, quin Filiusfamilias eius-
 modi Testam. factionis particeps sit *pr. Inst. de Hered. qual. et*
diff. l. 16. ff. Qui Testam. facere poss. adeo ut etiam ignoranti et
 inuito Patri acquirere possit, quale exemplum Fideicommiss-
 sariae Hereditatis in *l. 16. §. 11. ff. ad SCTum Trebell.* proponitur:
 quam etiam uti Paterfamilias repudiare potest *l. 13. §. fin. de*
Acquir. Hered. Secus atque in Seruo, qui licet ignoranti non
 tamen inuito Domine Hereditatem acquirit *l. 32. ff. de Acquir.*
rer. Dom. §. 1. Inst. de His qui sui uel alien. Iur. §. 3. Inst. per quas
person. cuique acquir. Ratio differentiae in eo est, quod Filius-
 familias per se capax sit Acquisitionis s. Domini in res ex iure
 Gentium et Ciuili, quamuis, dicente *Grot. cit. loc.* exercitium
 nonnunquam ob Iudicii Imperfectionem impediatur: in eo-
 que acquisitio siue Pater nolit siue uelit, subsistit. Non enim
 minus est persona integra, quam Paterfamilias, saltem quan-
 tum spectat ius Reip. et Ciuitaris. Seruus autem et in familia
 Domini et in Ciuitate pro nullo habetur, ideoque persona eius
 per se omnis acquisitionis incapax est. *uid. Anton. Fab. Iurisprud.*
Papin. tit. 8. pr. 7. ill. 2. et. 3.

9.

Caeterum ACTIVA TESTAMENTI FACTIO expresse
 iniure nostro Filiofamilias adempta legitur *pr. Inst. quib. non est*
permis. fac. Testam. l. 6. ff. qui Testam. fac. poss. l. 16. eod. l. 3. §. 1.
C. eod. Licet enim alias quilibet, qui est Particeps Iuris Gen-
 tium et Ciuilis, praesumatur habere Testamenti factionem,
Reusnerus de Testam. Vol. 1. p. 2. c. 1. n. 8. et nihil magis homini-
 bus debeatur, quam ut supremae uoluntatis liber sit filius, et
 licitum quod iterum non redit arbitrium *l. 1. C. de S. S. Ecclef.*
l. fin.

B

on-
 ant,
 nihil
 ere

 MI-
 cta
 suc-
 sta-
 oud
 ate,
 data
 per,
 stas
 Au
 a et
 um

 VM
 IN-
 ub-

 um
 VA
 po-
 one
 est.
 ore-
 stas

l. fin. in fin. C. communia de Legat. attamen Filiofam. ea potestas nunquam concessa legitur.

10.

Cuius rationem nonnulli hanc proferunt, quod non possit habere heredem is qui bona nulla s. nihil suum habet, *l. 28. ff. de Vulg. et Pupill. substit.* Cuius inuentor et autor esse uidetur Ulpianus in suis fragmentis *tit. 20. §. filius 9.* Vir alias summi ingenii, prout eum nominat Iustin. *l. un. §. 9. C. de Caduc. tollend.* Verum uereor an acu tetigerit? Si enim is qui nihil suum habet testari nequeat, sequitur, quod is, qui bona habet, possit Testamentum erigere: Sumto argumento a contrario sensu quod in iure est ualidum, quando inde non resultat absurdus intellectus uel iurium Correctio *Schneiderw. Inst. de Patria Potestate n. 10.* Iam autem palam est, Filiumfamilias habere peculia Profectitia et Aduentitia, imo talia, in quibus plenum Dominium habet, de quibus tamen, ut inferius dicturi sumus, testari nequit *l. pen. C. qui Testam. facere poss.*

11.

Verior igitur uidetur esse ratio haec: quod cum Testamentum sit uoluntatis nostrae non alienae suprema testatio *pr. Inst. de Testam. Ordin. l. 1. ff. qui Test. fac. poss.* liberum quoque iudicium ad hoc requiritur, quod tamen in filiisfamilias non reperitur, quia uelle non creditur, qui imperio Patris obsequitur *l. 4. ff. de R. I.* Itaque libere uoluntatem suam declarare non poterit, quod enim cogente imperio fit, non potest dici sponte fieri *arg. l. 41. C. de Transact.*

12.

Verissima tamen ac Principalis nostrae sententiae ratio haec dici potest: quod Testamenti factionem nemo habeat, nisi a LL. 12. Tabul. quae de solo Patrefamilias ad Filiifamilias exclusionem loquitur iis uerbis: PATERFAMILIAS VTI SVPER RE SVA AVT FAMILIA LEGASSIT, ITA IVS ESTO.

ESTO. l. 120. ff. de V. S. iunct. tit. 19. in fragm. LL. 12. Tabul. Iohann. Dautb. Tr. de Testam. n. 147. et Dd. communiter. Per hanc igitur LL. 12. Tabularum Filiofam. omnis testandi potestas interdicta est et pene seruis similis habitus fuit. *uid. Rittershus. ad LL. 12. Tabul. cl. 3. pr. c. 1.* Quae potestas alias naturali ratione inspecta filio denegari non posset. Est enim iuris Gentium absolute scilicet considerata quoad essentiam *Matth. Berlich. Const. 1. p. 3. n. 12. Dn. Habn. ad II. VVesemb. Tit. qui Testam. fac. poss. quoad solennitatem uero et quatenus a Iure Ciuil. approbata et certis limitibus confirmata fuit, est Iuris Ciuilis. uid. Dn. Habn. d. loc.*

13.

Sed quid dicendum de testamento **AD PIAS CAUSAS**, in quo quis Ecclesiae, Scholis, Academiis, Gerontocomiis etc. captiuus redimendis, alendis pauperibus, aut aliis publico fauore pariter dignis aliquid dedit uel reliquit, annon talem Testamenti factio ualebit, cum alias eiusmodi Testamentorum in iure nostro sit magnus fauor et unusquisque licentiam habeat piis locis et Collegiis, quicquid bonorum uoluerit, relinquere, ita ut non sint cassa iudicia eius l. 1. C. de S. S. Ecclesiis: accedit quod in tali Testamento non Solennitates Iuris Ciuilis, sed tantum Iuris Gentium obseruantur, prout contendit *Clarus lib. 3. Recept. Sentent. q. 6. n. 4.*

14.

Verum posthabitis hisce rationibus etiam tale Testam. ualere negamus per *expressum textum C. licet pater de Sepulch. in 6to:* qui textus licet uideatur hanc potestatem Filiofamilias concedere cum consensu tamen Patris in iis praesertim bonis in quibus Filius plenum Dominium habet (Couarruias putat indistincte in qualicumque peculio) contrarium tamen defendit *Magnificus Dn. Ludouellus in Inchyta Altorffina quondam Praeceptor meus dexterrimus Tractat. de Vltimis Voluntatibus*

B 2

part.

part. 2. p. m. 199. eumque intelligendum esse contendit, non de testament. factione, sed dispensatione inter uiuos: *uid. ibid. plura. et infra tb. 34.*

15.

Praedicta autem assertio, ubi Filiofamilias omnem Actiuam Testamenti factionem denegauimus, in tantum procedit, ut nequidem PATRE PERMITTENTE et CONSENTIENTE Testamentum facere queat *d. pr. Inst. et l. 6. ff. Qui Testam. facer. poss.* tum quod Testamenta non ex alieno pendere debeant arbitrio, sed per se firma esse oportet *l. 32. ff. de Hered. Inst.* tum quod haec permissio Patris non efficiat, ut Filiofamilias incipiat esse Paterfamilias cui Soli LL. 12. Tabularum potestatem hanc dederunt *l. 120. ff. de V. S. et in fragmentis LL. 12. Tabul. tit. 19.* tum quia Testamenti factio est iuris publici h. e. nullum Testamentum ualet, nisi illud fecerit is, cui iure publico Testandi facultas permessa est *l. 1. ff. ad L. Falcidiam. Suethold. Disp. 7. Tb. 63. Arnoldus Vinnius Comm. Instit. Quibus non est permiss. facere Testament.* Quod Ius Publicum priuata Patris Autoritate contra publicam prohibitionem immutari nequit. *l. 38. ff. de Pacti. l. 6. in pr. Qui Testament. fac. poss. l. 45. ff. de R. L.*

16.

Nihil autem hic mouet, quod fortassis obiici possit, quod cum Testam. factio sit iuris Publici *l. 3. ff. Qui Testam. fac. poss.* Filiusfamilias autem in causis publicis habeatur pro Paterfamilias *l. 9. ff. de His qui sui uel alieni Iur.* exinde colligere liceat, Filiofamilias testandi potestatem competere. Nam Respondemus, licet sit causa publica non tamen ita est publica, ut contra LL. 12. Tab. prohibitionem aliquid statuere possit: Sicut in Matrimonio, cuius etiam est causa publica *l. 1. ff. de Rit. Nuptiar. l. 1. ff. Solut. Matrim.* nec tamen consensum Patris in Nuptiis Filiofamilias necessarium excludere potest. *Gorbofred. ad d. L. 9. ff. de His qui sui uel alien. Iur.*

17. Atque

17.

Atque haec adeo uera sunt, ut quamuis Filiusfamilias testatus fuerit, postea sui iuris aut Paterfamilias factus, decesserit, illud tamen nihilominus inutile maneat *Inst. pr. quibus non est perm. fac. ibique Cyprianus Regner. de Censur Belgica Burcholt Inst. ad d. princip. n. 5. l. 19 ff. Qui Testam. fac. poss. nec tractu temporis conualescat, arg. l. 29. ff. de R. I. quia non sufficit tempore mortis aliquem habere Testam. factionem l. 19. ff. Qui Test. fac. poss. l. 1. §. 8. de Bonor. Possess. secundum Tab. §. praeterea t. Inst. quibus non est perm. fac. Test.*

18.

Sed hic nobilis atque inter Dd. et Scriptores Iuris tam Theoricos quam Practicos ualde agitata quaestio occurrit, quam paulisper examinare consultum duximus: *nimirum si Filiusfamilias Testam. fecit cum consensu Patris et adiecerit clausulam codicillarem h. m. si non ualeat iure Testamenti, ualeat tamen iure Codicilli uel mortis causa donationis, uel Legati aut cuiuscunque ultimae uoluntatis, utrum tale Testamentum ualeat?* Quam quaestionem ante omnia bimembrem constituimus et illud quaeri nobis uidetur, an Tale Testamentum omnino ualeat an uero saltem aliquo modo nimirum in uim donationis mortis causa. Et posteriori modo ualere multi haur parui nominis Autoris statuunt, inter quos est *Fachinaeus lib. 5. Controuers. Iur. c. 64. Vigl. ad d. pr. Inst. Vinnius ibid. et alii plures: quorum opinio hoc cum primis nititur Fundamento, quod praeter Testam. et Codicillos nulla alia sit uoluntas, in qua et in nulla alia specie ultimae uoluntatis uerificare possit Fachin. d. l. Quam tamen opinionem infirmo stare talo cum *Matth. Berlich. C. 1. p. 3. n. 19. asseueramus.**

B 3

19. Ac

19.

Ac proinde eiusmodi Testamentum omnino non ualere ai-
mus, adducti magnorum ICTORUM rationibus, quae in ipsis re-
rum obtinent argumentis: inter quos est *Iob. Dautb. d. l. n. 160.*
Guid. Pap. Resp. 61. Schneidewin. Instit. de Donat. rubr. de mort. cau-
sa Don. n. 9. Zas. in Comment. ad ff. tit. qui Test. fac. poss. n. 15. et alii
plures, quos citat. Berlich. d. l. De quorum rationibus diligen-
tius dispiciamus.

20.

Non potest itaque 1. ualere ut TESTAMENTVM, quia
eius factio Filio in totum adempta est, quod supra satis demon-
strauimus. Neque 2. **IVRE CODICILLORVM**, quia is
demum Codicillari, qui et Testamentum condere potest,
l. 6. §. pen. et l. 8. §. 2. ff. de Iur. Codicill. Harprecht p. 1. Disp. 30. tb. 3.
Non 3. tanquam Legatum quis legata relinquere potest,
ut et Fideicommissa qui testari uel codicillari potest *l. 2. de Lega-*
tis l. 1. §. 2. de Legat. 3. l. 6. §. pen. de Iure Codicillorum.

21.

Non denique in uim DONATIONIS MORTIS CAUSA,
quia 1. haec ultimis uoluntatibus per omnia fere aequata est,
§. 1. Instit. de Donat. l. ult. C. de Donat. mort. causa. Quae simili-
tudo et comparatio eo tendit, ut simul cedant prohibitio et
permissio Testamenti facienti et mortis causa donandi, et ii
demum eaque tenus donare uel ex mortis causa donationibus
aliquid capere possint, qui et quatenus Testamentum facere
uel ex Testamento capere queunt, *l. 15. l. 35. l. 37. ff. de Donat.*
mort. caus. Aut 2. ut alii uolunt, Donatio mortis causa natu-
ram contractus sapit *Guid. Papa Respons. 61.* atque sic inter plu-
res peragitur, pactione scilicet et traditione, ut ipse *Vinnius ad*
§. 1. Inst. de Donat. Mort. causa indicat. Zoef. Comment. ad ff. d.
tit. n. 15. proinde hoc in casu necessarius est consensus Dona-
tarii, qui et praesens esse et acceptare debet, qui cum hic defi-
ciat,

ciat, merito etiam Testamentum in Vim Donat. mort. causa euanescit. Praeterea expressus requiritur consensus Patris, qui Filiofamilias in specie et expresse concedere debet, ut mortis causa donet *l. 7. §. 4. ff. de Donat.* qui cum hic deficiat merito etiam Testamentum in uim Donationis mortis causa inualidum redditur. Denique praecipua intentio et uoluntas filiofamilias haec fuit, erigere testamentum potius, quam mortis causa Donationem, ex accidenti uero eius haec fuit mens, ut si non ualeret tanquam Testamentum, ualeret tamen ui clausulae Codicillaris tanquam alia quaeuis ultima uoluntas. Ergo filiusfamilias hic non simpliciter habuit mentem donare mortis causa, sed testamentum facere, quod tamen iure prohibetur condere. infirmato itaque principali, infirmatur et id, quod ex accidenti fit.

22.

Secunda Species Iurium prohibitorum circa actus ultimarum uoluntatum est CONFECTIO CODICILLORVM (qui Appendices Testamentorum et quasi supplementa dicuntur *Zoesius ad tit. de Iur. Codicill. n. 11.* Et nihil aliud sunt quam ultima uoluntas minus solennis absque Heredis Institutione coram 5. Testibus confecta) Et filiofamilias etiam in Legibus denegatur *l. 6. §. 3. de Iur. Codicill.* ob rationem quam *Paulus in l. 8. §. 2. ff. de Codicill.* affert, cum quo minime pugnat *Instin. in pr. Instit. de Codicill.* quando dicit eum Codicillos facere posse, qui Testamentum facere nequit. Ipse enim textus et *l. 8. §. 2. ff. de Codicill.* facilem subministrant Respon- sionem: uidelicet distinguendum esse inter impedimentum Iuris et facti: prius nempe Iuris quando quis lege est inestabilis, respicit *Paulus in d. l.* Posterius uero facti scilicet, quando quis sufficientem Testium numerum aut alias solennitates Iuris Ciuilibus habere nequit, intelligit Imperator *in d. pr.* sic Iure Codicillos facere potest per *d. l. 8. §. 2. ff. de Codicill.*

*Codicill. Dn. Praefes Praeceptor ac Patronus meus obnixè colendus
in Not. ad tit. Inst. de Codicill.*

23

Tertia se iam sistit species Iurium Prohibitiuorum circa Aetus ultimarum Voluntatum, nimirum LEGATORVM AC FIDEICOMMISSORVM RELICTIO, quae etiam Filiofamilias adimitur *arg. l. 6. §. 3. de Iur. Codicill. Treutler. vol. 2. D. 13. tb. 2. ite. A. Vinnius ad d. Princ.* Nam legare generaliter secundum mentem LL. 12. Tabb. nihil aliud est quam testari *l. 120. ff. de P. S.* proinde nemo potest Legare, qui non habet Ius testandi h. e. uerbis directis relinquere *l. 2. de Legat. 1. et l. 1. de Leg. 3. Hartprecht. Inst. Disp. 27. Tb. 4. Treutler. Vol. 2. D. 13. Tb. 2.* An uero cum consensu Patris uel in uim donationis mortis causa legare possit, dubitatur. *Aff. Treutler. d. l. lit. A.* quae sententia, an possit tolerari, uidebimus bono cum DEO in discursu pluribus.

24.

FIDEICOMMISSA artem relinquere potest, qui Testament. aut Codicillos facere potest, Ius enim Codicillorum et Fideicommissorum relinquendorum simul cedit, quia sine Testamento nostro non aliter fere Fideicommissi potest quam Codicillis, uel quo alio genere ultimi iudicii *Mantica l. 9. t. 2. n. 2. l. 6. §. 3. et l. 8. §. 2. de Iure Codicill.* Sed cum FIDEICOMMISSA sint duplicia, uel VNIVERSALIA, quando uniuersa hereditas s. patrimonium aut eius pars precariis uerbis relinquitur *§. 10. Instit. de Fideicommiss. Heredit.* quae alias HEREDITATES FIDEICOMMISSARIAE ITEM FIDUCIARIAE *vertrauliche Erblassung oder Erbschafft ab Imperatore §. 1. Instit. d. 1. et a ICTis passim appellantur, uide. Christoph. Besold. in Thesaur. Pract. und Versangenschafft.* Vel SINGVLARIA, quibus res singulae relinquuntur, et rogatur quis alteri praestare rem particularem *Instit. de sing. reb. per Fideicommiss. relictis.*

Quaeri

Quaeri proinde solet, an ad utraque haec Prohibitio se extendat? id quod affirmamus. Certum enim est et VNIVERSALIA et SINGVLARIA FIDEICOMMISSA non aliter, nisi aut in Testamento aut in Codicillis, aut in Epistola aut quacunque alia ultima uoluntate, quae Filio fam. non competit, relinqui posse *l. 1. pr. et §. 1. et 2. ff. de Legat. 3.*

25.

Quid uero statuendum de DONATIONIBVS MORTIS CAUSA, annon filius mortis causa donare posse uideatur? quod similiter negamus ob rationem, quam supra *Tb. 21.* adduximus, quod scilicet per omnia ultimis uoluntatibus exaequatae sint *l. ult. C. de Don. Mort. causa. Dn. Carpzov. l. 6. tit. 1. Respons. 1. n. 14.* imo est ultima uoluntas minus solennis *arg. d. l. ult. et Dn. Carpzov. d. l. n. 16.* potest tamen consentiente Patre *l. 7. §. 4. de Donat. et l. 15. §. 1. ff. eod.* Cuius rationem reddit *Iob. Dautb. in Tractat. de Testam. n. 190.* quod *LL. 12. Tabb.* solummodo de Patrefamilias locutae sint, ita ut sicut Paterfam. super pecunia familiae sua legasset, ius esset *d. l. 120. ff. de V. S.* nihil autem tale quid de Donat. mort. causa disposuerint, ideoque Filius mortis causa donare potest cum consensu Patris, non aequè Testamentum facere, quia de familia et Patrimonio suo uniuerso nemo disponere potest, nisi qui sit Paterfamilias: quod Filius non est *l. 4. ff. de his qui sui uel alien. iur. alias rationes uid. ap. Berlich. Const. 1. p. 3. n. 7. et seqq.*

26.

Ast quaeritur hoc in loco, an et in Filiofamilias mortis causa donante de rebus et bonis Aduentitiis Patris consensus aequè requiratur? In Negatiuam quidem descendit *Dn. Hahn in Not. ad VVesemb. tit. de mortis causa Donat. n. 4.* tum quod consensus ille tantum requiratur ob interesse et praeiudicium Patris, ne is inde laedatur, non uero tanquam Autoritas ad Actus huius solennitatem, unde etiam ita *l. 7. §. 4. ff. de Donat.* explicat.

C

tum

tum quod non ita donantis filii sed patris esset uoluntas. Sed placet potius affirmatiua *Didac. Couarruuiac* I C T o, opinione *Grotii lib. 2. c. 4. de I. B. et P.* Summi iudicii, ad *Rubic. de Testam. p. 3. n. 10.* nec non *Bocero Tractat. de Donat. c. 5. n. 37.* ad stipulari, nimirum et hoc in casu consensu Patris opus esse 1. propter *l. 25. §. 1. ff. de mort. caus. Donat.* quae lex cum generaliter loquatur, generaliter quoque erit intelligenda *arg. l. 1. §. 1. ff. de Legat. praestand. et lege non distinguente*, nec nostrum est distinguere *arg. l. 8. ff. de Public. in rem Act* unde non uideo, qua ratione *d. l. 25. §. 1.* commode de bonis Profectitiis intelligi possit, cum huius coniecturae nullum addit iudicium 2. moueor per *l. 7. §. 4. de Donat.* ex qua illa firmiter infertur conclusio: sine quo non subsistit donatio mortis causa a filio facta, illud utique tanquam autoritas ad inregrandam personam filii requiritus. Ast sine patris consensu hac donatio non subsistit. E. minoris probatio satis roboris accipit *ex d. l. 7. §. 4.* ubi inhiberi dicitur Donatio sine patris consensu. Nil praeterea stringit altera *Dn. Habnii* ratio quod scilicet sic non pro donantis filii, sed potius Patris uoluntate habenda sit: Etenim hoc absurdum non esse satis euincitur *ex l. 9. §. 2. ff. de Donat.*

27.

Perlustratis hactenus IURIBVS PROHIBITIVIS in considerationem nunc reuocanda sunt IVRA PERMISSIVA ACTVVM VLTIMARVM VOLVNTATVM, quae filio-familias testandi facultatem in certis quibusdam bonis permittunt. Eaque respiciunt Filium uel ut MILITEM uel ut QVASI MILITEM. Et sunt talia bona, in quibus licet reuera non sit Paterfamilias, at tamen singulari Legum Priuilegio uice Patrisfamilias habetur, et uocantur communi nomine PECVLIA CASTRENSIA et QVASI CASTRENSIA. De quibus in genere melioris doctrinae et intellectus gratia nonnulla praemittemus.

28. PECV-

28.

PECVLIVM in genere nihil aliud est quam pusilla pecunia *l. 5. §. 3. ff. de Pecun.* seu pecuniolum, quod interdum significat nummulos futurae necessitatis ein Nothpfennig / unde *Proculus in l. 79 §. 1. de Legatis 3. ait.* Veteres Rusticos Senes, audisse se, ita dicentes pecuniam sine peculio fragilem esse. Illudque peculium triplicis conditionis nostrates faciunt, dicentes bonum Patremfamilias oportere nummulos honori, necessitati atque alimentatiōi destinatos *Chr / Wehr und Nothpfennig* in arcula repositos habere. In iure uero nostro nihil aliud est quam quod filius uel seruus a rationibus Patris uel Domini separatum habet *l. 5. §. fin. de Pecul.* Et paulo aliter in ueteri Glossario definitur, quod nimirum sit Possessio eius qui in aliena potestate existit ibique Possessionem sumimus pro ipso Dominio seu proprietate, uti accipitur *in l. 78. de V. S.* Diuiditur hoc peculium in SERVI et FILII Peculium. De serui Peculio iam nihil adiicimus *uid. Hug. Grot. lib. 3. c. 14. §. 6.* Peculium Filiifamilias uero est naturale (ita etiam a Theophilo *ἡσὺα Φυομῆ* dicitur) Filiorumfam. Patrimonium a Paternis rationibus Patre uel iure permittente seorsum iis constitutum *l. 15. §. 3. et 4. ff. de Peculio.*

29.

Hoc Filiifamilias Peculium constituitur uel PAGANVM uel MILITARE *l. fin. C. de Inst. Testam.* Prius iterum uel PROPECTITIVM uel ADVENTITIVM. Posterius uel CASTRENSE uel QVASI CASTRENSE est. PROPECTITIVM est, quod e re Patris proficiscitur s. ab ipso Patre s. ab alio contemplatione Patris uel familiae paternae filio datum fuerit *§. 1. Instit. per quas person. cuique acquir. et §. 1. Inst. quod cum eo qui in alien. etc. l. 5. in pr. §. 1. et seq. ff. de iure Dotium l. 6. pr. ff. de Collat. l. 10. ff. de uulgari et Pup. substit. l. 21. ff. de Vsufructul. 6. C. de Bon. quae Liber.* Veteres enim Romani non-

C 2

nun-

nunquam Filiofamilias pecuniae nonnihil concedebant, ut in pecuniae istius administratione industriam suam exerce-
rent, et si quid, ut est apud Terentium, suum defraudantes
genium, comparserint, aut succisui temporis diligentia quae-
siverint, id aliquo modo esset ipsorum; Pater autem in eo
et Vsumfructum et proprietatem s. plenum Dominium habuit
d. §. 1. Instit. hodieque parum aut nihil immutatum reperitur,
ut est *in d. l. 6. C. de Bon. quae liber.*

30.

ADVENTITIVM est quod aliunde, quam e re Patris uel
occasione eius uenit, extra causam tamen militiae uel arma-
tae uel togatae, puta ex Testamento aui Materni, Donationi-
bus Matris, Agnatorum et quorumuis Extraneorum. *l. 6. C. de*
Bon. quae Liberis. §. 1. Instit. d. t. Ad quod hodie merito possu-
mus referre munera, quae filiis baptizatis Testes Baptismi,
ceu tesseram fidei datae donare solent, germanice das *Wathen-*
geld / quippe non Parentibus sed Liberis baptizatis offerri
uulgo creditur. Hinc filii tacitam Hypothecam in bonis pa-
ternis habent et aliis Creditoribus in concursu Creditorum
praeferruntur *Ordin. Process. iud. tit. 45. in pr. vers. des gleichen die*
Kinder / Dn Carpzou. iurisprud. Forensis p. 2. Const. 24. Defin. 18.
Cuius Peculii originem ad Tempora Constantini Imperato-
ris refert *Bachouius in Tr. de Act. Disput. 8. Coroll 2 p. m. 142.*
quod admitti potest si totalem huius peculii a Profectio sepa-
rationem consideres; si uero speciales calus inspicias, non
insicias ibis, illius primordia tempore Hadriani et D. Anto-
nini Pii extitisse, uti patescit *ex l. 50. ad SC. Trebell. l. 16. §. 11. cod. l.*
52. ff. de Acqui. uel amitt. Hered. Tandem uero Imperator Iustin.
constituit, ut in hoc Pater Vsumfructum, filius uero propieta-
tem retineret *§. 1. Instit. d. t. d. l. 6. C. de Bon. quae Liber.* quandoque
uero plenum Dominium filiis maneret. Hinc Dd. recte hoc pec-
culium duplex faciunt: REGVLARE et IRREGVLARE.

31. REGV-

31.

REGVLARE, quod alii minus plenum nominant, iam defitum dedimus: in quo scilicet Pater habet Vsumfructum, filius uero nudam Proprietatem *d. §. 1. et. d. l. 6.* quod hodie regulariter ad Patrem eousque pertinet, quoad uiuit, licet ad Nuptias transferat. Moribus uero germaniae, quibus Patria potestas uel per separationem, *da er sich vom Vater / ut loquitur Saxo, foudert /* aut per Nuptias soluitur, et cum primis Saxoniae illa Vsumfructus, restante *Schneideuwino Inst. de Patr. Potest n. 47.* tamdiu penes Patrem manet, donec uel Matrim. contrahat, uel propriam rem familiarem instituat filius. *Art. 11. Landrecht / lib. 1. Const. E. Aug. 10. p. 2. Dn. Carpzov. p. 2. Const. 10. Def. 5.*

32.

IRREGVLARE, seu ut alii appellant, PLENVM est, quod pleno iure, hoc est, quoad Vsumfructum et Proprietatem ad filium pertinet. Cuius exempla plura recensentur in iure nostro sparsim, cum primis autem *in Authent. Excipitur et seqq. et l. 7. et 8. pr. et. §. fin. C. de Bonis quae liberis etc.* Et sunt 1. Quando filius ab extraneo haeres institutus et hereditatem inuitopatre adit *l. ult. §. 1. C. de Vsumfructu l. 8. pr. C. de Bonis quae liberis.* 2. Si Mater, Aua uel alii Parentes filiis hac conditione aliquid donauerint uel reliquerint, ne ususfructus ad Patrem, in cuius potestate Filius est perueniret, *Authent. Excip. C. de Bon. quae liber.* Idem dicendum, si quid ab extraneis ita acceperint, quamuis enim adducta *Auth. de Parentum Persona* tantum loquatur, attamen prosupria, sicut et nonnullae aliae in Codice nostro, habetur, cum a fonte nimis *Novell. 117. c. 1.* unde desumpta est, deuiet, ubi expresse hoc ad donationes ab Extraneis factas extenditur. 3. Si ad Hereditatem fratris uel sororis una cum Patre ueniat, ubi in portione, quae ad eum peruenit, plenum Dominium nanciscitur. *Auth. item*

C 3

Heredit.

Heredit. C. d. t. 4. Si res Filio deferuntur ob delictum Patris sine causa lege definita diuortium facientis *Auth. idem est C. d. t. 5.* quando Filio aliquid a Principali Liberalitate uel Augusta domo donatum fuerit. *l. 7. C. d. t. 6.* Si filio mancipium hac lege donetur, ut statim illud in libertatem perducatur *l. 8. §. fin. C. d. t. 7.* denique si filiusfamilias patrem habens furiosum haereditatem adierit *l. 52. in pr.*

33.

MILITARE quod concernit, id etiam rursus subdividitur IN CASTRENSE VEL QVASI. CASTRENSE quod filius in Castro seu militia uel eius occasione e. g. muneribus, stipendiis, aut si quid a Parentibus in militia abeunti uel degenti in Expeditione dono datum fuerit, acquirit *l. 3. et 11. ff. et l. 1. C. de Castrensi pecul.* modo sint mobilia uel ex mobilibus comparata, nam si immobilia Filio a Patre data fuerint, inter bona Castrensia non referuntur *l. 1. C. de Castrensi Pecul. l. 4. C. fam. Erisc.* eique intuitu militiae in aequae agententur *uid. Tholosan. Synt. Iur. lib. 19. c. 15. n. 2.* Id namque quod Pater Filio ex militia reuerso donat Castrense peculium non est *l. 15. pr. ff. de Castrensi pecul.* Cuius originem Imperatori Augusto *Bachobius in Tractat. de Aët. Coroll. 2. ad Disp. 8. p. m. 140.* atque cum eo *M. Aurelius Galuanus Var. Disp. c. 7. p. 52.* adscribit, adducentes locum ex *Corn. Tacito lib. 1. Annal. c. 2. §. mibi 2.* In quo Filiusfamilias amplissimum Ius consecutus, ut habeatur pro Patrefamilias *l. 2. ff. ad SC. Maced. et in quo Patri ius plane nullum l. 2. et 3. C. de Pec. Castrensi. milit. lib. 12.*

34.

QVASI CASTRENSE, quod Filiusfamilias in militia rogata uel occasione eius, ueluti Aduocationibus, Assessoris, Professionibus *l. 7. de Assess. l. 4. C. de Aduoc. diuers. Iudiciorum* aliaque arte aut officiis publicis *l. 2. C. de Priuileg. eorum qui in Sacro Palatio,* acquirit. Ideo aut dicitur quasi Castrense, quia ad simi-

similitudinem Superioris Privilegio singulari donatum fuit, atque inualefcente ICTorum auctoritate in Imperio Romano introductum fuit, ut in eo quoque sicuti in Castrensi uero pro Patrefamilias haberetur *l. ult. C. de Inoff. Test.* Quin et sicuti arma et Equi filio in Exercitum abeunti a Patre concessi, loco peculii Castrensis habentur *l. i. C. de pecul. Castrensi*: ita tradit *Laurentius Vrselius de foro Liuis conclus. legal. 42. n. 356.* libros, uestes, sumtus Academicos uel expensas ad gradum Doctoris, et Equestrem dignitatem consequendam, aut quocunque modo Studiorum gratia suppeditatas pertinere ad pecul. quasi Castrense.

35.

His igitur breuiter inspectis, nunc quoque experiendum, utrum Filiusfamilias indistinctim de his omnibus, an uero de uno uel altero eorum testari possit? Plane de Peculio Profecitio et Aduentio minus pleno nec testari nec Codicillos, nec etiam Legata ac Fideicommissa relinquere, aut mortis causa donare posse, indubitati est iuris. *Pr. Inst. quibus non est permiff. fac. Testam. et l. u. C. eod.* quia in his Bonis Filius semper pro Filiofamilias h. e. in potestate Paterna existente habetur.

36.

Verum ad irregulare Pec. Aduentitium quod attinet, de eo interpretes iuris uehementer litigant et adhuc sub iudice lis esse uidetur. Nos summorum ICTorum, ut et uenerandorum Dn. Praeceptorum, quorum uestigia premere aetatem nostram decet, non infirmis rationibus subnixi, id cum illis negandum existimamus, adiuti textibus *in pr. Inst. quib. non est permiff. fac. Testam. et l. u. C. qui Testam. fac. poss. quae lex non ad l. 6. C. de Bon. quae Liber sed ad l. 8. C. d. t. referenda est*, uti id uerbum NVPER abunde declarat, siquidem *L. pen. prodiit Calendis Septembr. post Consulatum Lampadii et Orestis siue anno Christi 531. at Lex ult. paucis ante mensibus lata fuerat,*
et

et post legem 7. C. de Bon. quae Lib. conf. Lamp. et Orest. anno scil. 530. latam, facta est, uti id satis demonstrat Petrus Galvanus in Tr. de Usufructu c. 9. n. 6. et 7. Praeterea in l. 8. ita distinguuntur bona quemadmodum vult haec l. 11. In l. uero 6. nulla fit mentio eorum, quae sine et cum Patris consensu filio quae-runtur Aduentitia Riemer. Decad. 6. q. 2. uideatur etiam Bachov. in Tract. de Adt. Disp. 8. Corollar. 2. p. 144. et seqq. Denique quia Filiusfamilias de nullo alio Peculio testari nequit nisi de ca-frensi et quasi: a qua Regula nusquam hoc peculium exce-prum legitur Giphart. ad d. pr. Instt. Donell. lib. 9. com. 5. Fachin. l. 5. Controuers. c. 94. Dn. Ludvbell. ad l. 8. §. 5. C. de Bon. quae liberis.

37.

Nec quicquam mouent rationes et textus iuris in contra-rium adducti. Nam quod quidam 1. obiciunt textum ex Nouell. 117. c. 1. §. 1. in qua Filio de huiusmodi Bonis quouis modo pro lubitu disponere permittitur, parum ad rem facit: Non enim dicta Nouella intelligenda de Dispositione ultimae Voluntatis, sed inter uiuos Georg. Schulz. Synops. Inst. tit. quib. non est permiss. fac. Testam. lit. B. id quod non tantum ex aetate minorennis ostendi potest, de qua in sequenti uersiculo, sed etiam demonstrat Vocabulum graecum *διουκέν*, quod latine ADMINISTRARE uerti solet, nec est signum ultimae Volun-tatis, uti *διαδύροδαι*, quod latine TESTARI dicitur alias RELINQUERE l. 1. §. pen. ff. de Tab. exhib. Alber. Gentil. de Libr. Iur. Ciuil. p. 67. Cuiac. in recitat. tit. C. de Bon. quae liberis. Zoef. in comm. ff. tit. qui Test. fac. poss. n. 17. et seqq. Nec prae-terea 2. opinionem nostram inualidat l. ult. §. 5. C. de Bon. quae Lib. ex qua quidam ita concludunt, si in iis duntaxat bonis Aduentitiis Filiusfam. non possit testari, in quibus Pater habet Usamfructum, sequitur, quod e contrario in illis bonis, in quibus Pater nullum habet usumfructum, filius possit Testam-condere. Exclusio enim unius est alterius inclusio. Resp. Argu-

Argumentum ex hoc loco esse a contrario sensu, quod contra expressa iura nihil operatur. Nec particula DVNTAXAT ibidem posita excludit Bona aduentitia, quorum Patri usufructus non acquiritur, quasi de illis testari posset, contra *d. pr. Inst. et l. pen. C. d. t.* nam dictio taxatiua nunquam excludit, cum inde resultat absonus intellectus aut contrarietas. Confer. *Dn. Vngipaur. Exerc. 8. q. 6.* Accidit, quod Argumentum a natura dictionis taxatiuae desumptum casus similes non excludat. *Everhard. in Top. loc. de natura dict. Taxat. n. 3. et 4.*

38.

Porro 3. sententiae nostrae non derogat *l. 50. ff. ad. SC. Trebell.* in qua haec peculia equiparantur Peculio Castrensi. Notum autem est filium de eo peculio Castrensi testari posse, ergo quod ualet in uno similium, ualet etiam in altero *arg. l. 23. pr. ff. ad L. Aquil.* Sed Resp. ibi peculium Aduentitium et Castrense inter se comparari non simpliciter quoad liberrimam dispositionem, sed secundum quid, nimirum quoad effectum agendi et conueniendi in Iudicio prout uerba sequentia indicant *Dn. Vngipaur. d. l. Facin. l. 5. Controv. c. 94.* Parum quoque 4. huc facit, quod filiusfamilias de peculio hoc inter uiuos libere disponere, obligari et contrahere possit. *l. 39. ff. de O. et A.* uidetur ergo constare regula: Quod concessum est inter uiuos, id etiam concedendum in ultimis uoluntatibus, quae potius adiuuandae quam coarctandae *l. 7. C. de Instit. et Substit.* Resp. enim illam Regulam procedere, si diuersa est iuris dispositionis inter uiuos et mortis causae ratio. Filius namque inter uiuos potest disponere obligari et contrahere, sed sub Condicione Patrisfamilias: In ultimis autem uoluntatibus semper habetur pro Filiofamil. Exceptis Peculiis Castrensibus et quasi Castrensibus. 5. Nihil facecit textus Iuris Canonici *exc. licet Pater de Sepult. in 6to.* Is enim ut supra in *Tb. 14. ex Dn. Ludouello citato loco* adduximus, non exaudiendus

D

uenit

uenit de Dispositione ultimae uoluntatis sed inter uiuos. Recte tamen ea peculia mortis causa cum consensu Patris donare potest. *l. 25. §. 1. de Donat. mort. causa.* Atque de iuris quoque ad Pias causas et in Testam. inter liberos, ubi iuris Gentium ratio praecipua habetur, testari posse nonnulli affirm. inter quos est *Stephanus Durandus Praefes Tbolosanus in quaeft. notatiff. q. 21. cui adftipulatur quoque Ferretus in Not. ad Durandum.*

39.

Sed de his haftenus. PECVLIA nunc CASTRENSIA et quasi CASTRENSIA aggredimur, quid ad quomodo in iis disponere possit, uidentum nobis est. Non autem dubium, quin de iis libere et quomodocunque uelit, testari possit, singulari legum favore hac potestate adepta *l. 6. §. fin. ff. de iniust. rupt. et irrit. l. 6. C. de Bon. quae Lib. pr. Instit. quib. non est permiff.* Non autem ideo, quod proprium quid in iis bonis habeat, sed quia, dicente *Vinnio ad d. pr. Inst. placuit Filiumfamilias id habere sub qualitate Parrisfamilias, ut etiam de eo testari posset d. l. 6. §. fin. de Iniusto. rupt. et irrit. l. 2. ff. ad SC. Maced.* De Castrensi autem non aliter quam si sit in expeditione iuxta Priuilegia militaria, de quibus cecinit Iuuenalis *Saty. fin:*

*Solis Praeterea Testandi militibus ius
Viuo Patre datur: nam quae sunt parta labore
Militiae, placuit non esse in corpore census
Omne tenet cuius regimen Pater.*

Quod si uero domi tunc secundum ius commune *§. fin. Instit. de Testam. mil. l. 17. §. Pater ff. de Castrensi Pec. modo eiusmodi Priuilegia alteri non praetudicent aut noceant l. nec auus. C. de Emancip.* De peculio uero quasi Castrensi semper tenetur testari secundum ius commune *§. fin. Instit. d. t. Schneidevvin. ad d. t. n. 8.*

40. Quem;

40.

Quemadmodum autem Filius de Bonis Castrensisibus et quasi Castrensisibus restari. Ita etiam Codicillos conficere, Legara et fideicommissa relinquere, mortis causa donare et quomodocunque uelit, disponere potest: Nam qui testamenta facere potest, ille etiam caeteras omnes utpote minores ultimas uoluntates exequi ac erigere ualet. *l. 6. §. pen. l. 8. §. 2. ff. de iur. Codicill. l. 2. de Legat. 1. l. 1. §. 2. de Legat. 3.* Cui enim plus conceditur, etiam minus concedi debet, *Inst. qui ex quib. caus. manum. non poss. §. ult. l. 21. ff. de R. I.*

41.

Quod si uero Intestatus decesserit, distinguendum est: aut enim Liberos habet superstitis, et tum ad hos solos peculia haec iure Hereditatis pertinent. aut Liberis destitutus decedit et tum Fratres et hi una cum Parente admittuntur. *Nou. 118 c. 2.* Aut denique Patrem tantum habet, et tum recedant ad Patrem *arg. l. 3. et 4. C. de Bon. quae lib. et l. ult. C. communia de Success.* ut aliud quoduis peculium, non tamen tanquam hereditas *l. 2. ff. de Castrensi. Pecul. l. 9. eod. l. 5. C. eod. lib. 12.* Nam filio intestato mortuo uti caetera eius peculia perpetuo in Dominio et Bonis Patrem habuisse atque ea recepisse quasi iure Postliminii creditur *l. 7. C. de Aff. ff. l. 4. C. de Aduoc. diuers. Ind. l. 44. de Leg. 1.* Et hoc est quod Imperator ait IVRE COMMUNI, non iure Hereditatis ad patrem redire *l. 1. et 2. ff. de Castrensi Pecul.*

42.

Fingamus nunc casum: Titius habet Filium Maeuium, quem per quinquennium in Academiis ad addiscendum studium iuris sustentauit. Is Maeuius iussu Patris relicto oris Academicis reuertitur in Patriam seque in forum conferendo Aduocariam suscepit: cuius ope acquirit aliquot millia Vallengium, de quibus emit Fundum Tusculanum, et alia quam plu-

D 2

rima

rima eaque pretiosa mobilia sibi comparat. Postmodum in Matrimonium pucta Seia, filios duos et filiam ex illa suscepit. Interea uxor eius in partu unacum infantulo recens nato moritur : paulo post etiam unus ex filiis ut et filia obierunt. Maeuius ad secunda uota transit et uxorem ducit Semproniam, qua cum nullos habuit liberos. Tandem, Maeuius nullo facto Testam. decedit, et relinquit Patrem, Fratrem Germanum, filium atque uxorem. Inter quos post Mortem Maeuii controversia mouetur, ad quemnam hereditas filii de iure spectetur.

43.

Et Patri nemo uidetur obstare, cum Filius defunctus in ipseus fuerit potestate tempore mortis, cuius respectu omnia bona redeunt ad Patrem, nemo enim praeter filium eumue cuius peculium fuit, ius commune s. Patriae potestatis excludere potest. Posthaec suadet Aequitas, ut Pater, si non ex asse, attamen cum filio defuncti in peculiis eius qd. Castrensibus admittatur: quippe qui per quinquennium tot sumtus in filium eiusque studia impenderit, unde factum fuisset, ut filius idoneus parque euaserit, ad obeundam in foro Aduocariam, cuius beneficio talia bona sibi comparauit. Denique adest *Novell. 118. c. 2.* quae Patrem tanquam heredem ad filii defuncti bona uocat.

44.

Fratrem uero admitti cum Patre ad Heredit. Maeuii Fratris Germani innuit *d. Nouell. 118. c. 3.* Verum nihil obstantibus Patris et Fratris rationibus, solus filius excluso Patre et Fratre Germano ad Heredit. defuncti Parentis admittitur *l. Sacrosanctae. 34. C. de Episcop. et Cleric. Nouell. 118. c. 1.* Mater uero iure Ciuili dotem atque illata recipit, et quia dos et illata admodum exigua, atque unus tantum Filius ideo quartam hereditatis partem aufert. *Novell. 117. c. 5. Authent. praeterea C. Vnde Vir et Vxor.* iure uero Saxonico communi iuxta *d. Auth. praeterea sine considerationes C. Vnde Vir et Vxor.* 4. Virilem partem re-
tenta

tenta una cum Vsfufru, proprietate, ita tamen ut illata conferat, acciperet. *Gl. fin. in Art. 36. lib. 2. Landredyt / et liberum est mulieri utrum illata omiffa. 4. uirili parte repetere, an uero conferre et 4. uirilem capere uelit: quia illam non nifi deducto aere alieno auferre potest uid. Dn. Richter / de Success. S. 4. n. 1. 14. 20. et 24.* In foro Electorali Saxonico, quartam omnium bonorum uxor haberet *Const. 20. p. 3.* Iure Northufano Patrio Statutario Hereditas non statim ad Filium deuolueretur, sed mater omnia bona Hereditaria retineret sine confectione Inuentarii uel ulla reddita ratione *uid. Ampliffim. Dn. D. Iohannem Titium patronum meum ad cymbam usque colendum in Tractatu, quem uocat Erörterte Succession und Erbfälle / superioribus Nundinis Autumnalibus editum, Casu 12.*

45.

Superiora autem omnia eo usque procedunt, donec contrarium statuto aliquo inducatur et Filiofamilias haec potestas sine discrimine Bonorum concedatur: Cuius uigore ualeat quidem Testamentum factum a filio legitimae aetatis, sed ad bona extra territorium statuentium sita non extenditur: uerum quoad illa intestatus decederit *Gail. lib. 2. Obs. 124. n. 13. Philipp. Matthaei. ad. l. 7. ff. d. R. I. n. 19.* Non obstat, quod nemo possit testatus ac intestatus decedere *l. 7. ff. de R. I.* illa enim regula non procedit in consuetudine uel statuto de rebus uel personis contra ius commune disponentibus *Gail. d. l.* Quod ipsum tamen aliis non immerito displicet, cum ex Testamento titulus sit uniuersalis et indiuiduus, et statutum hic non disponat principaliter de Bonis, sed sufflet Spiritum in Testamentum illud inualidando *Add. Bacov. ad Trent. Vol. 1. D. 1. Tb. fin.*

46.

Hodie moribus nostris imprimis Iure Saxonico idem dicendum uideretur, ut iidem Actus Filiofamilias et prohibiti sint et permiffi: quamdiu enim iuxta Patrem habitat, eouf-

D 3

que

que omnia Patri exceptis excipiendis, acquirit, nec de iis certo respectu testari potest. Quando uero perfectae aetatis se a Parentibus seiunxerit et propriam rem familiarem instituerit, und ist nicht mehr ans Vatern Brodt / tunc sibi acquirit: et quin de eiusmodi bonis testari queat extra omnem dubitationis aleam positum est *uid. Iob. Dautb. Tr. de Testam. n. 158. et 159.* Sublata enim causa impeditiua, quae fuit Patria potestas, tollitur etiam effectus. *Schurff. Conf. 20. n. 19.*

47.

Pari modo apud Gallos moris esse refert *Tbolofanus Synt. Iur. l. ii. c. 8. n. 2. ex Nicolao Boer.* omnia Filiosfamilias sibi non Patri omnino acquirere siue sint Aduentitia uel Castrensia, uel quasi et in proprietate et in Usufructu esse, atque proinde de iis pro lubitu disponere posse, modo sit 17 annos natus *Equin. Baro ad tit. Inst. quibus non est permitt. facere Testam. Et Dn. Ludvvel. tradit in d. Tract. de ultim. Volunt. part. 2. c. 1. p. 200.* apud Norimbergenses Liberos legitimae aetatis, quamuis non sint sui iuris, Testamenti factionem actiuam habere. *uid. ibid. plura.*

48.

Nunc postulare ratio ordinis, ut nostrum laborem ac sermone etiam dirigeremus ad iura Filiosfamilias competentia quoad Actus inter uiuos: uerum cum praeter omnem spem atque Opinionem posterior huius materiae pars sub manibus excreuerit. et paulo fusius sese diffuderit: ita ut nec Temporis nec charrae pariatum angustia, reliqua apponere, nec praeterea moris sic Disputationis limites longiori, quam par est, pede, transgredi, ideo filium abrumpimus, atque hic substitimus, ea uero, quae dicenda restant, singulari Disputationi, si per Dei et Amplissimae Facultatis permissum licuerit, bono cum Deo referuantes.

Tantum!

DEO TER. OPTIMO MAXIMO LAUS ET HONOR!

AD

AD ORNATISSIMVM
DN. RESPONDENTEM
ET
AVTOREM

Tu qui pertractas sacra dogmata Iuris et æqui
Sedulus, atque Themis fatidicam sequens,
Edis iam clarum specimen, documentaque pulchra,
Quae Tibi commonstrant nobile laudis iter,
Perge igitur, tacitos iuris scrutare recessus,
Et tandem accipies myrrea ferta manu.

ita ex animo precatur

PRAESES.

Sie edle Themis Liebster Freund /
Hat DZM DEZM Herz befaßten /
Du Sie / und Sie DZES treulich meynt /
Drum kan auch nicht durchfressen
Die Faulheit DEZM Gemüthe:
Nach Tugend DEZM Geblüthe
Durch stete Mühe walt /
und Arbeit mannigfalt.

Das

Das zeigst Du werther Themis Sohn
In diesen Rechtens Sätzen/
Drum Themis DJN zum Ehren-Lohn
DJEH Herze wird benezen
Mit **Famen** Süßigkeit:
Und DJN auch zubereit
Ein Lob das immer währet/
Und keine Zeit verzehret.

Ich wünsche / **Werther** / Glück DJN:
Laß ferner nichts erwinden:
Und fahr fort glücklich für und für
Den Rechten nachzugründen/
So wirst Du den Weg gehen/
Wo hohe Leute stehen/
Und Du mein ander Ich
Wirst leben ewiglich.

Seinem vielgeliebten Herrn Landsmann
glückwünschend sagte es

J. J. Michael.
von Nordhausen.

F I N I S.



05 H 731

ULB Halle

3

004 227 905







B.I.G.

Farbkarte #13

TIO IVRIDICA

DE

IBVS AMILIAS

eines unter Väterlicher
henden Hohnes

QVAM
ANNVENTE

EX
CTORVM ORDINIS
AC PERMISSV

RESIDE
EO ECKHOLS

VL. IVRID. ASSESS.
VBLICAE
DITORVM DISQVITIONI
BMITTIT

ESTVS NORICVS

VTOR ET RESPONDENS
EBRVAR. ANNO M DCLX.

IO NOVA.

RECUSA M DCC XXXIX.
HELMI BOSSOEGELII. (4)

